

ovo simillimo: quod ut activitatem desideratam exserere valeat, duo requisita maximè necessaria videntur, ipsius scil. menstrui constitutio laudabilis, & parietum ventriculi robur naturale.

THES. X.

Menstruum ventriculi quod attinet, illud in statu naturali nec acidum, nec alcalinum deprehenditur; id quod præter alias rationes satis notas, experimenta cum syrupo violarum instituta luculenter evincunt: Sed est illa ipsa lymphæ, quæ cum sanguinis massa per corpus fluctuans in glandulis stomachicis secernitur, atque ventriculo in magna satis copia infunditur, ordinariè dilutæ saltem falsedinis particeps. Hæc dum aquositate particulis salinis juncta in assumpta vim suam exserit, horum substantiam lactescentem & gelatinosam imbibit, eamque sibi adaptatam ad massam sanguineam sub chyli nomine defert. Peractâ autem nutritione, atque particulis gelatinosis in poris partium depositis, partim ad canalem alimentorum pro nova alimentorum solutione perficienda redit, partim ad vias urinarias, aliaque corporis emunctoria deponitur mox excernenda.

THES. XI.

Sic ipsius ventriculi substantia membranacea suum quoque confert symbolum, quatenus hic non tantum per tunicam suam carneam nunc constringitur, nunc laxatur iterum; sed ab abdominis etiam musculorum & diaphragmatis motibus reciprocis per intervalla comprimitur, hęcque motu pressive in escam agit, & lymphæ commiscelam intimiorem promovet. Calore quoque tum propriò, tum adjacentium viscerum, lympham solventem in fluore conservat, sine quo hæc aliàs facilè lentesceret.